

Parochiano tuo, qui excommunicatus pro manifestis excessibus, videlicet homicidio, incendio, violenta manu injectione in personas Ecclesiasticas, Ecclesiarum violatione, vel incestu, fuit, dum ageret in extremis, per Presbyterum suum juxta formam Ecclesie absolutus, non debent coemeterium, & alia Ecclesie suffragia denegari. Sed ejus heredes, & propinqui, ad quos bona pervenerunt ipsius, ut pro eodem satisfaciant, censura sunt Ecclesiastica compellendi.

TITULUS XXIX. DE PAROCHIIS, ET ALIENIS PAROCHIANIS.

CAP. I.

Inter Episcopum substitutum Episcopo heretico, & ipsum Episcopum hereticum reversum, & ex dispensatione receptum, dividitur Episcopatus, modo hic expresso.

Ex Concilio Africano. b (an. 402.)

SI Episcopus c ex Donatistis ad catholicam unitatem est conversus, equaliter inter se dividant eas, quae sic inventae fuerint, ubi ambae partes fuerint: id est, ut alia loca ad illum, alia ad alium pertineant, ita ut ille dividat, qui amplius temporis in Episcopatu habet, & minor eligat. Quod si forte unus fuerit locus, ad eum pertineat, quem plebs elegerit. Sed si antiqui catholici suum voluerint, & illi suum, qui ex Donatistis conversi sunt, plurimorum voluntas paucioribus preferatur d. Si autem partes aequales sunt, majoris temporis Episcopo deputetur e. Si autem ita plurima loca inveniuntur, in quibus ambae partes fuerint f, ut non possint equaliter dividi, velut si in impari numero fuerint, distributis locis, qui parem habent numerum, quicumque locus remanserit, hoc in eo servetur, quod dictum est, cum de uno loco superius tractaretur.

CAP. II.

Presbyteri parochiales Dominicis diebus, & festis parochianos alienos ad Missam admittere non debent, si ex contemptu ad eorum Ecclesiam accedunt.

Ex Concilio Naneten. g (in Gallia.)

UT Dominicis, vel b festis diebus Presbyteri, antequam celebrent, plebem interrogent, si alterius parochianus in Ecclesia sit, qui proprio contempto Presbytero ibi velit Missam audire: quem si invenerint, statim ab Ecclesia abjiciant.

CAP. III.

Episcopus parochianum alterius sine ipsius licentia ordinare non potest, nec eum aliter judicare.

Hadrianus Papa. i (an. 780. Romae.)

NULLUS Episcopus alterius parochianum judicare praesumat: [& infra.] Nam qui eum ordinare non potuit, nec judicare potest.

CAP. IV.

Fines parochiarum, de quibus constat, vel finibus cohaerentia, praescribi non possunt.

Urbanus III. (an. 1186. Romae.)

SUPER eo vero k, quod apud vos intelleximus dubitatum, an quod de finibus, & l his, quae finibus cohaerent, non praescribendis, statutum per canones esse digno-

a Quis dicatur constitutus in extremis, vid. in leg. 3. cum l. seq. ff. de dom. caus. mort. Bart. in l. 1. c. de sacrosan. Eccl. b c. 85. in Conc. Later. c. Cap. 1. eod. tit. in 1. compil. d. Vid. l. 1. & suum heredem. s. fin. cum l. sequent. ff. de pactis. e. deputentur. f. fuerunt. g. Vaneten. al. Naveten. sed legendum Naneten. Et sique hoc decretum ibi c. 1. non. c. 429. ut refert Burch. l. 2. decr. c. 2. nec cap. 19. ut refert Ivo p. 2. c. 122. h. Cap. 2. eod. tit. in 1. compil. i. Bur. l. 2. decr. c. 39. Ivo p. 6. c. 140. & c. 3. eod. tit. in 1. compil. x. post Conc. Later. sub Alex. III. c. ult. & c. 5. eod. tit. in 1. compil. 1. vel.

scitur, sit in praedictarum limitibus a, sicut in provincialibus, admittendum: Respondemus, quod bene videtur in utroque servandum, si fines legitima probatione, vel alias indubitata fide constitit Ecclesiastica ordinatione statutos.

CAP. V.

Si parochianus, seu diocesanus domicilium transfert, primus Praelatus in eo iura Episcopalia, seu diocesana sibi non vendicat: decimae tamen praediales illius parochiae sibi debentur, nisi alteri debeantur ex consuetudine.

Celestinus b III. (an. 1195.)

SIGNIFICAVIT nobis Aconen. d Episcopus, quod cum post recuperationem Aconen. civitatis, ad habitandum in ea se quamplurimi contulissent, qui ante generalem occupationem terrae sanctae in aliis civitatibus regni Hierosolymitani elegerant mansionem: [& infra.] Fraternitati tuae e mandamus quatenus praedictorum locorum Praelatos, ut sibi nullam in praedictos Acon. habitatores jurisdictionem usurpent, nec ab eis temporalia exigant, quibus spiritualia non ministrant, districtione, qua convenit, compellatis: ita quod si de agris in eorum parochia constitutis fructus percipiunt, & in ultramarinis partibus ratione praediorum decimae persolvuntur, deinceps eis ipsas cum integritate persolvant: dicto vero Aconen. tanquam diocetano suo cogantur de ceteris respondere.

[& in ea residentiam fecerunt aliquantum, & adhuc etiam resident in eadem, Praelati praedictorum civitatem eos ad solvenda sibi iura Ecclesiastica compellunt. Quia vero transgredi terminos a patribus constitutos, aut falcem mittere in messem alienam non oportet.]

TITULUS XXX. DE DECIMIS, & PRIMITIIS, ET OBLATIONIBUS.

CAP. I.

Exprimit quatuor genera decimarum, quae ex veteri lege debebantur.

Hieronymus super Ezechielem. g (an. 390. in Judaeam.)

DECIMAM partem omnium frugum Leviticae Tribus populus ex lege debebat. Rursus ex ipsis decimis Levitae, hoc est, inferiorum ministrorum gradus, Decimas dabant Sacerdotibus. Erant quoque & b aliae decimae, quas unusquisque de populo Israel in suis horreis separabat, ut comederet eas, cum iret in templum in urbe Hierusalem, & in vestibulo templi Sacerdotes, & Levitae ad convivium invitaret. Erant autem & aliae, quas pauperibus recondebant. At vero primitiae, quas de frugibus offerebant, non erant speciali nomine definitae, sed offerentium arbitrio derelictae. Traditionem quoque accepimus Hebraeorum, non lege praecipit, sed arbitrio magistrorum inolitam, quod qui plurimum, quadragesimam partem dabant Sacerdotibus: qui minimum, sexagesimam: inter quadragesimam, & sexagesimam licebat, quodcumque voluissent, offerre. Quod igitur in Pentateucho dubium derelictum est, hic i specialiter definitur propter Sacerdotum avaritiam, ne amplius a populo exigant in primitiis offerendis.

CAP. II.

Non potest congrue sumari, propter varietatem lectionum. Paschalis II. (an. 1110.)

NOVUM k genus exactionis est, ut Clerici a Clericis decimas exigant, cum nusquam in lege Domini hoc lega-

a Limitibus. b Clemens. c Cap. un. eod. tit. in 2. compil. d Ancon. e al. vestra. f De materia hujus tituli vid. Thom. 2. 2. q. 86. & 87. g Cap. 45. & c. 1. eod. tit. in 2. compil. h Haec dictio, & deest. i al. hoc. k Post Conc. Lat. sub Alexand. III. p. 13. c. 16. & c. 17. eod. tit. in 1. compil.

legamus: non enim Levitae a Levitis decimas accepisse leguntur. Illi profecto, qui a Clericis spiritualium ministeriorum labores accipiunt, decimas eis debent.

CAP. III.

Compositio super decimis non tollitur per privilegium sequens, si de illa mentionem non facit.

Hadrianus Vigoren. & Herforden. Episcopis.

(an. 1156.)

EX multiplici a conquisitione V. Presbyteri accepimus, quod cum inter Abbatem de Brudeja, de consensu totius Conventus, & praedictum Presbyterum talis intercesserit a conventio, scripto Monachorum authentico roborata, quod Monachi dicto Presbytero, & Ecclesiae suae de blado, & universis leguminibus, quamdiu viveret, decimas persolverent, exceptis minutis decimis, quas idem Presbyter quietas clamavit: idem Abbas a nobis privilegium obtinuit, ut de laboribus, quos propriis manibus, aut sumptibus excolunt, nulli decimas solvere tenerentur: [& infra.] Unde quia non fuit nostrae intentionis per privilegium nostrum conventioni derogare praedictae: mandamus, quatenus Abbatem, & Monachos, ut eandem conventionem (non obstante dicto privilegio, nisi de ipsa contineatur in eo) inviolabiliter teneant, & observent, vel exinde secum pacifice convenient, appell. proposita compellatis.

[& Qui siquidem reversus ad propria tantam apud H. Regem illustrem Anglia gratiam, & favorem invenit, quod totam terram Rex ipsius ville, in qua Ecclesia praefati Presbyteri sita est, monasterio ipsius in perpetuum elemosinam contulit: quo facto praed. Abbas universis colonis illius ville expulsi, totam terram praedictae parochiae excolens propriis sumptibus, Ecclesiae debitos redditus subtraxit.]

CAP. IV.

Monachi tenentur solvere decimas praediales de praediis noviter cultis, de quibus decima prius solvebantur.

Idem Thoma Cantuarien. c Archiepiscopo. (an. 1157.)

COMMISUM est nobis: [& infra.] Pervenit d ad nos, quod Monachi de Bosse Ecclesiae sanctae Mariae, in cuius parochia commorantur, decimas ex integro non persolvunt. Eapropter mandamus, quatenus eos, ut decimas de terris cultis, in quibus olim domus constructa fuerant, praefatae Ecclesiae cum ea integritate persolvant, qua priusquam in eadem parochia morarentur, solebant persolvi, compellas. Et sicut etiam de pascuis olim decimae persolvebantur, ita nunc de eisdem ad frugum fertilitatem translatis, decimas volumus absque deminutione persolvi.

[& A Deo dispensationis officium admonet, & exhortatur multipliciter, ut universis Christi fidelibus, & Ecclesiae debeamus utiliter providere, atque integra iura sua nos oportet, atque illibata conservare.]

CAP. V.

Per excommunicationem compellitur quis ad solvendas decimas de molendinis, & aliis hic contentis, & cap. seq. h. d. cum seq.

Alexander III. Cantuarien. Archiep. & ejus Suffraganeis. (an. 1170.)

PERVENIT e ad nos: [& infra.] Mandamus, quatenus parochianos vestros monere curetis, & si opus fuerit, sub excommunicationis districtione compellere, ut de proventus molendinorum f, pisciarum, feeno, & lana, decimas Ecclesiis, quibus debentur, cum integritate persolvant.

a C. 17. eod. tit. in 1. compil. & post Conc. Lat. sub Alex. III. p. 13. c. 11. b intervenit. c Hunc existimo esse B. Thom. Cantuar. Arch. qui circa ann. Christi 1171. pro libertate Ecclesiae asserenda martyrio traditur sub Alex. III. d C. 3. eod. tit. in 1. compil. & post Conc. p. 13. c. 12. e Cap. 2. eod. tit. in 1. compil. f vid. l. si maritimo. g. de ervo, & aqua. per Bart. & l. 2. ff. de aqua plu. arcen.

[& Quod cum parochiani vestri decimas bonorum suorum consueverint Ecclesiis, quibus debentur, cum integritate persolvere: nunc tam laudabili consuetudine praetermissa, quidam ex eis de lana, & de feeno, & de proventus molendinorum, & pisciarum ipsis Ecclesiis subtrahere non verentur. Quoniam igitur institutioni divinae manifestius obviant, qui decimas ipsas Ecclesis non persolvunt: f. v. per Ap. f. p.]

CAP. VI.

Summatum est cum praecedenti, & declaratur, ut in praecedenti dictum est.

Idem Vintonien. a Episcopo. (an. 1170.)

NUNCIOS b: [& infra.] Mandamus, quatenus parochianos tuos de apibus, & de omni fructu decimas persolvere Ecclesiastica districtione compellas.

[& Et literas tuae f. ea qua decuit benignitate recepimus, & petitiones tuas, quoad licuit, curavimus exaudire, sicut illius persona, quam pura in Domino, & ferventi charitate diligimus, & cuius commodis, & profectibus intendere volumus diligenter. Cum igitur ad officium tuum spectent ea, in quibus nostri praecipue desideres nostra auct. muniri, tanto in his debuisse facilius exaudiri, quanto ipsam eorum specialius salutem respiciunt, de quibus in extremo iudicio redditurus es rationem. Inde est, quod f. t. per Ap. sed. pra.]

CAP. VII.

Decima fructuum statim cum collecti sunt, solvi debet, non deductis expensis.

Idem Exonien. Episcopo. (an. 1170.)

CUM homines c de Hortonae de frugibus (IX. partibus sibi retentis) decimam Ecclesiae, cuius parochiani sunt, sine deminutione solvere teneantur: & antequam id faciant, servientibus, & mercenariis suis de frugibus non decimatis debita totius anni pro servitio suo impendant, tunc demum de residuo decimam persolventes: Mandamus, quatenus eos cogatis, ut decimam statim d fructibus collectis persolvant, atque de subtrahitis, & retentis dignam satisfactionem exhibere procurent.

CAP. VIII.

Privilegiati super decimis non solvendis, de iis praediis, quae ab aliis conducunt, decimam solvere tenentur.

Idem Monachis de Neucelen. e (an. 1180. Romae.)

DILECTI f filii Abbas, & fratres sanctae Crucis sua nobis conquisitione monstrarunt, quod praedia, unde decima s, & in magna parte sustentationem consueverunt habere, a plebique Laicis conduxerunt, & recepistis ad firmam. Unde quoniam iidem fratres ex hoc gravantur enormiter, nec sinitentionis nostrae, aut antecessorum nostrorum, ut de possessionibus, quas conduxistis g, decimas non solvatis: mandamus, quatenus de praediis, quae conduxistis h in parochiis suis, de quibus consueverunt decimas percipere, plenarie solvatis eisdem, vel cum ipsis amicabilem componatis.

CAP. IX.

Revocatur privilegium, si ex post facto incipit enormiter nocivum esse.

Idem Abbati, & fratribus Dolon. i (an. 1180.)

SUGGESTUM k est ex parte vestra, quod Abbas, & fratres monasterii de Ursu. decimas a vobis auferre conantur. Difer. v. mandamus, quatenus cum praedicto Abbate, & fratribus super ipsis decimis componatis: nam quando Rom. Ecclesia ordini vestro privilegia de decimis dederat, ita erant ratae Abbatiae vestri ordinis, quod exinde nulli poterat de jure scandalum subortiri: sed nunc in tantum augmentatae sunt, ac possessionibus

a Virovieni. ac Vintonien. b C. 18. eod. tit. in 1. compil. & post Conc. p. 4. c. 3. c. C. 4. eod. tit. in 1. compil. d de fructibus. e Nembio. al. Norvolo. Nevelo. al. Nevolesta. f C. 6. eod. tit. in 1. compil. & post Conc. p. 13. c. 2. g conduxistis. h quae a laicis, &c. i Dolon. k C. 9. eod. tit. in 1. compil. & post Conc. Lat. sub Alex. III. p. 13. c. 4.

ditata, quod multi viri Ecclesiastici de vobis apud nos querelam a sepe proponunt.

CAP. X.

Cistercienses, Templarii, & Hospitalarii decimam pradiorum suorum, quae propriis manibus, aut sumptibus excolunt, solvere non tenentur: alii vero religiosi non solvunt decimas de hortis, & nutrimentis animalium, nec de novalibus, quae propriis manibus, ac sumptibus excolunt.

Idem Terraconensi b Archiepiscopo. [an. 1170. in Hispaniam.]

EX parte tua ad nos noveris pervenisse, quod albi Monachi, & nigri, & quidam alii d Religiosi Ecclesias tuae jurisdictionis redditibus decimarum, occasione privilegiorum, quae sibi Romana indulget Ecclesia, spoliare praesumunt. Sane nolumus te latere, quod praedecessores nostri tere omnibus religiosis decimas laborum suorum concesserunt e. Sed praedecessor noster Hadrianus solis fratribus Cisterciensis ordinis, & Templariis, & Hospitalariis, decimas laborum suorum, quos propriis manibus, vel sumptibus colunt, indulget: ceteris vero, ut de novalibus suis, quae propriis manibus, vel sumptibus excolunt, & de nutrimentis animalium suorum, & de hortis suis decimas non persolvant: quem sumus super his imitati. Quare ii, quibus hoc indultum est, hac occasione decimas de aliis rebus Ecclesiae suae non possunt subtrahere, vel sibi aliquid ulterius vindicare.

CAP. XI.

Privilegium super decimis laborum non extenditur ad terras, quae aliis traduntur excolenda.

Idem. (an. eod.)

Licet f de benignitate sed. Apost. sit vobis indultum, ut de laboribus, quos propriis manibus, vel sumptibus colitis, nemini decimas solvere teneamini: propter hoc tamen non est licitum vobis decimas de terris vestris subtrahere, quas aliis traditis excolendas.

CAP. XII.

Privilegium super decimis laborum etiam ea, quae non sunt novalia, comprehendit.

Idem.

AD audientiam g nostram: (& infra. 1) Illud privilegii capitulum prava quidam interpretatione pervertentes, quo Cisterciensibus indulgetur, ne de laboribus, quos propriis manibus, aut sumptibus excolunt, aliquis decimas ab eis exigat: afferunt, quod pro laboribus novalia intelligi debent: (& infra. 2) Mandamus, quatenus non permittatis hoc fieri: nam si intelligeremus tantummodo de novalibus, ubi ponimus b de laboribus, de novalibus poneremus i.

[1 Noveris pervenisse, quod cum quidam vestrum a dil. filiis nostris, fratribus Cisterciens. ordinis de laboribus, quos propriis manibus, aut sumptibus excolunt, decimas exigere, & extorquere conantur.]

[2 Verum quoniam fratres praescripti ordinis de benignitate Apost. fovere debemus, & volumus, & ne ullus contra eos materiam habeat malignandi, vel eos contra justitiam molestandi quamlibet, attentius providere volentes, f. v.)

CAP. XIII.

Decimae novalium debentur Ecclesiae, in cujus parocia surgunt: si vero non sunt in certa parocia, debentur dioeceseo, qui potest sibi retinere, vel alteri Ecclesiae concedere.

Idem Brixien. Episcopo. [an. 1170.]

Quoniam k a nobis sollicitudo tua requisivit, quid de decimis novalium tuae dioecesis tibi sit statuendum: Respondemus, ut si terrae, quae arabiles sunt, intra certam ali-

a Quereimoniam. b Turonen. al. Terracon. c C. 10. eod. t. in 1. comp. d Alii viri religiosi. e concesserunt. f Cap. 11. eod. tit. in 1. comp. g Cap. 13. eod. tit. in 1. comp. h posuimus. i Vid. l. ab hostib. s. sed quod simpliciter. ff. ex quibus caus. mar. & l. 3. ff. de offic. praesid. k Cap. 25. eod. tit. in 1. comp.

cujus Ecclesiae parociam fuerint, decimas earum (tua parte retenta) eidem Ecclesiae factas assignari. Alioquin ipsa secundum discretionem a Deo tibi datam, alii a Ecclesiae deputare, vel ad opus tuum poteris retinere.

CAP. XIV.

Decimae possunt exigi.

Idem Remen. Archiepisc. b (an. 1180.)

Parochianos: [& infra. 1] Cum decimae non ab hominibus, sed ab ipso Domino sint institutae, quasi debentur exigi possunt.

[1 Vero tuos ad solvendas decimas Ecclesiis, quibus eas debent, Ecclesiastica debet severitate compellere.]

CAP. XV.

Decimae Laico jure haereditario concedi non potest.

Idem Ambianen. c Episcopo. (an. 1170.)

AD haec a donationem decimae, quam Abbas sancti S. de Monstrali cuidam Laico concessit per successionem tenendam: [quoniam sanctuarium de jure haereditario possideri non debet] viribus carere decernas: & Laicum [nisi decimam ipsam ipsi Ecclesiae libere resignaverit] vinculo excommunicationis adstringas.

CAP. XVI.

Judaei coguntur praediales decimas solvere, aut praedia dimittere.

Idem Marsilien. e Episcopo. [an. 1170.]

DE terris, quas Judaei colunt, tuae prudentiae respondeamus, ut eos ad decimas persolvendas g, vel possessiones penitus renunciandas, cum omni distractione compellas, ne forte occasione illa Ecclesiae valeant suo jure fraudari.

CAP. XVII.

Decimae, vel oblationes Ecclesiae Laicis concedi non possunt, & Praelatus contra faciens est puniendus.

Idem. [an. eod.]

Quamvis b sit i grave nimis, & divini dignum animadversione iudicii habeatur, quod Laici quidam, quod Sacerdotum est, & in Ecclesiasticis rebus, usurpant: majorem tamen incurrunt formidinem, quod fomitem sui erroris dicuntur in ipso Clero aliquoties invenire, dum quidam Praelatorum Ecclesiae decimas, & Ecclesias disponere eis indulgent, & eos in devia mortis impellunt, qui praedicatione eorum ad viam vitae revocandi: [& infra. 1] Statuimus, ut si quis alicui Laico in saeculo remanenti, Ecclesiam, decimam, oblationemque concesserit, a statu suo, sicut arbor, quae inutiliter terram occupat, succidatur, & donec emendet, dolore suae jaceat ruinae prostratus.

[1 De quibus dicit Dominus per Prophetam: Populi mei peccata comedunt, & ad iniquitatem provocant. Unde]

CAP. XVIII.

Statutur consuetudini, an colonus solvat decimam Ecclesiae, in cujus parocia sua sunt praedia, an Ecclesiae, ubi audis divina, & percipit Ecclesiastica sacramenta?

Idem.

Cum sint k homines in parocia unius Ecclesiae [sicut afferis] qui terras in alia parocia excolunt: tua discer. nos consuluit, cui Ecclesiae de terris illis decimas solvere debeant: [& infra. 1] Sane non est nobis facile super hoc certum l dare responsum: cum auctoritates sanctorum Patrum etiam sint diversae. Et ideo in hujusmodi dubitatione ad consuetudinem duximus recur-

a Aliis Ecclesiis. b Post conc. p. 26. c. 21. deest. hac inscriptio. c. 26. eod. tit. in 1. comp. c Abienens. al. Ambiens. d C. 27. eod. tit. in 1. comp. e Masilien. f c. 28. eod. tit. in 1. comp. g Vid. l. impetrator. ff. de publ. cum voc. per Bald. & l. comperis. G. de praeser. XXX. vel XL. annor. h c. 2. eod. tit. in 2. comp. i Verbum, sit, deest in aliquot antiq. k c. 3. eod. tit. in 2. comp. l Certum responsum tibi dare.

rendum a, & attendendum etiam, si illae Ecclesiae in uno sint, vel in diversis Episcopatibus constitutae: quia difficile nimis videtur, ut una Ecclesia in Episcopatu alterius recipiat decimas: cum ex hoc Episcopatum fines confundi non immerito viderentur.

[1 An illi, in quibus divina audiunt, & alia Ecclesiastica percipiunt sacramenta.]

CAP. XIX.

Non potest Laicus transferre decimam in alium Laicum, etiam si cum titulo illam possideat. h. d. cum gloss.

Ex Concilio Lateranen. (an. 1179.)

Prohibemus, ne Laici decimas cum animarum suarum periculo detinentes in alios Laicos possint aliquo modo transferre. Si quis vero receperit, & Ecclesiae non reddiderit, Christiana sepultura priverit.

CAP. XX.

Decimae personalis debentur Ecclesiae, ubi quis percipit sacramenta, licet alibi lucrum contigerit. In praediali vero status consuetudini, si in aliena parochia colonus praedium coluit.

Lucius III. Savigonensi Archiepiscopo. [an. 1181. in Hungariam.]

AD Apostolicam c sedis regimen: [& infra. 1] Intelleximus, quod quaedam consuetudo in Hungaria inolevit, ut multitudo populi plerumque de parocia unius Episcopi in dioecesim alterius transferatur: in qua licet per multa tempora moram traxerit, uterque tamen Episcoporum, tam is, cujus parochiam reliquerunt, quam is, cujus parochiani sunt facti, decimationem requirit: ideoque tua nos duxit frat. consulendos, cui potius decimae sint reddendae. Noveris igitur, quod aequum est, ut illi Ecclesiae decimae personales reddantur ab eis, in qua Ecclesiastica percipiunt sacramenta. Decimas vero messium d, vel fructuum arborum, si coluerint in alia parochia, quam in ea, in qua habitant [quoniam a diversis diversa consuetudo tenetur] tu eligas in hoc casu, quod per consuetudinem diu obtentam ibidem noveris observatum.

[1 Licet immeriti dignatione divina vocati, omnibus sumus Ecclesiae filii debitores, & pro scientiae nostrae modulo respondere cogimur consulationibus singularum.]

CAP. XXI.

De omni fructu praedii solvenda sunt decimae.

Clemens III. e (an. 1190.)

EX parte f Canoniceorum Ecclesiae tuae nobis est querela proposita, quod quidam agriculatores, cum simul, vel diversis temporibus anni in eodem orto, vel agro diversa semina sparserint, non nisi de unius illorum seminum fructibus decimas illi persolvunt: [& infra. 1] Mandamus, quatenus si noveris rem taliter se habere, agriculatores illos, ut de omnibus praediorum g fructibus decimas absque diminutione persolvant, Ecclesiastica censura compellas.

[1 Qui etiam decimas de agrorum proventus non curant exsolvere, nisi quibusdam deductis expensis, quas faciunt pro illis ad aream, vel ad horrea deportandis. Quia igitur per haec Canonice ipsi, & Ecclesiae Dei non modica irrogatur injuria, cum Levitis absque expensis deductis decimas sit injunctum expendi.]

CAP. XXII.

Decimae praediales solvenda sunt, expensis non deductis.

Celestinus III. (an. 1195.)

Non est b in potestate hominum, cum plantant arbores, vel aliqua semina terrae mandant. [& infra. 1]

a vid. l. minime. & l. si de interpretatione. ff. de legib. b Cap. 23. eod. tit. in 1. comp. c quam sit periculosum detinere decimas, tradit Guid. Pap. dec. 283. c Cap. 29. eod. tit. in 1. comp. d in vulg. lib. legitur ita: Super decimis vero &c. sed in omnib. Cod. manuscr. habetur, ut est impressum. e Celestinus. f C. 3. eod. tit. in 2. comp. g praediorum. h Cap. 4. eod. tit. in 2. comp.

Tom. II.

Verera sicut S. Patres in suis tradiderunt scripturis, de vino, grano, fructibus arborum, pecoribus, hortis, negotiatione, de ipsa etiam militia, de venatione, & de omnibus bonis decimae sunt ministris Ecclesiae tribuendae, ita ut qui de his eas solvere neglexerint, Ecclesiastica distractione debeant percelli: (& infra. 2) Volumus ergo, & districte praecipimus, quatenus antequam ullas e deducatis de bonis praedictis expensas, decimas Ecclesiis, ad quas pertinent, cum debita integritate persolvatis.

[1 Quid eis factio, vel plantatio sit redditura. Cum iuxta verbum Apostoli ad literam exponendum, neque qui plantat, plene aliquid faciat, neque qui rigat, sed Deus, qui tribuit incrementum. Audivimus autem, quod quidam vestrum de vineis, oliveis, carmelis, & frugibus, non nisi primo deductis expensis seminum, laboris, vel agriculturae decimas curant Ecclesiis exhibere.]

[2 Praterea si quis omnino Domino decimas non dederit, quae sunt tributa egenium animarum, & ex debito requiruntur ad decimam partem, ut docet Augustinus, removeri mereatur.]

CAP. XXIII.

De redditibus molendini ad ventum solvenda sunt decimae.

Idem.

EX transmissa b querela Rectoris Ecclesiae de N. intelleximus: [& infra. 1] Quia fidelis homo de omnibus, quae licite potest acquirere, decimas erogare tenetur: Mandamus, quatenus H. militem ad solutionem decimarum de his, quae de molendino ad ventum proveniunt, sine diminutione aliqua compellatis.

[1 Quod cum M. miles molendinum quoddam ad ventum in terra quadam infra fines parochiae, de cujus terra proventus decimas solebat Ecclesia percipere, memorata construxit, de ipsius proventus, vel obventionibus decimas ei solvere contradicens, in salutis suae periculum detinere non veretur. Unde]

CAP. XXIV.

Locator, vel conductor possessionum tenentur ad decimas, nisi se immunes ostendant.

Innocentius III. Pistorien. Episc. (an. 1210.)

AD Nobis e tua fraternitas requisivit: (& infra. 1) Cum igitur quilibet decimas solvere teneatur, nisi a praestatione ipsarum specialiter sit exemptus: Fraternitati tuae taliter respondemus, quod a dantibus, & recipientibus possessiones ad firmam de fructibus, quos percipiunt, decimae sunt solvenda: nisi ab eis ostendatur, quare ab hujusmodi sint immunes.

[1 Utrum ab illis decimas exigere debeas, qui possessiones dant, vel recipiunt ad firmam, cum alii se conentur per alios excusare, quo minus cogantur ad decimas persolvendas.]

CAP. XXV.

Imperialis concessio sub quacunque forma a solutione decimarum eximere non potest.

Idem Vercellen. Episcopo. [an. 1210.]

I. TUA d: [& infra.] Porro cum Laicis nulla sit de spiritualibus e concedendi, vel disponendi facultas, imperialis concessio quantumcunque generaliter fiat, neminem potest a solutione decimarum eximere, quae divina constitutione debentur.

Decimae novalium non pertinent ad Laicum, qui decimae habet in feudum. h. d.

F f

Nec

a Dictio, ullas, deest in omnib. antiq. cod. b Cap. 7. eod. tit. in 2. comp. c Vid. Conc. Trid. sess. 25. de reform. c. 12. & Conc. Matif. 2. c. 5. & B. Thom. 2. 2. q. 87. art. 2. c Cap. 1. eod. tit. in 3. comp. d de materia textus, & gloss. vid. Covarr. l. 1. var. ref. c. 17. & Guid. P. p. dec. 266. & 284. Adde Sylvestr. in summ. verb. decima. s. 3. d Cap. 4. eod. tit. in 4. comp. e vid. Host. & Oldrad. cons. 109. e al. de spiritual. rebus.

Nec occasione a decimationis antiquae (licet in feudum decima sint concessa) sunt decimae novales usurpandae, cum in talibus non sit extendenda licentia, sed potius b restringenda.

CAP. XXVI.

Sine deductione seminis, & sumptuum debent dominus, & colonus decimam solvere, & non cui voluerint Ecclesiae, vel pauperibus, sed Ecclesiae, cui debentur: nec ab hoc excusantur propter malitiam Clericorum.

Idem eadem. (an. 1210. Roma in Pedemontium.)

Tua nobis Fraternalitas intimavit e, quod quidam Laici decimas d Ecclesiarum, & Clericis tuis, perveris machinationibus subtrahere moliantur. Quidam enim ex eis semen, & sumptus, qui sunt in agricultura, dicunt primitivum deducendo, & de residuo impendendam decimam asserunt. Alii vero de portione fructuum, quam a colonis accipiunt, partem decimae separantes, eam capellis suis, aut aliis Clericis, aut etiam pauperibus conferunt, vel in usus alios pro sua voluntate convertunt. Nonnulli etiam vitam Clericorum tanquam abominabilem detestantes, decimas eis ob hoc subtrahere non verentur: [& infra. 1] Verum si ad Deum (a quo cuncta bona procedunt) assererent huiusmodi debitum respectum haberent, jus Ecclesiasticum diminuere non contenderent, nec decimas (quae tributa sunt egentium animarum) praesumerent detinere. Cum enim Deus e, cuius est terra, & plenitudo ejus, orbis terrarum, & universi, qui habitant in eo, deterioris conditionis esse non debeat, quam dominus temporalis, cuius statutum de terris, quas exhibet aliis excolendas, non quidem deductis sumptibus, aut semine separato, necessario cum integritate persolvitur: nimis profecto videtur iniquum, si decimae, quas Deus in signum universalis dominii sibi reddi praecipit, suas esse decimas, & primitias asseverans, occasione praemissa, vel excogitata magis fraude diminui valeant, cum Deo debita sit solutio decimarum, in tantum, ut ad eas Clericis exhibendas, quibus eas ipse pro suo cultu concessit, Laici si moniti reddere noluerint, Ecclesiasticae sunt g districtione b cogendi. Et cum de cunctis omnino proventibus decimae sint reddendae, sicut colonus de parte fructuum, quae sibi remanet ratione culturae: sic & dominus de portione, quam percipit ratione terrae, decimam reddere sine diminutione tenetur. Praetextu vero nequitiae Clericorum, nequeunt eas (nisi quibus ex mandato divino debentur) pro suo arbitrio erogare: cum nulli sit licitum aliena cuiquam concedere praeter Domini voluntatem: [& infra. 2] Quoniam igitur pati nolumus, ut Ecclesiarum, & Clericorum jura praesumptione qualibet minuatur: mandamus, quatenus omnes, qui ratione personarum, aut etiam praediorum decimas Ecclesiarum, & Clericis tuae dioecesis exhibere tenentur, ad eas cum integritate reddendas appellatione b remota compellas.

[1] Quidam insuper asserentes se possessiones, & omnia jura sua cum omni honore atque districtu per imperialem concessionem adeptos, decimas sub hujus generalitate detinere praesumunt: occasione praeterea veteris decimationis, quam asserunt sibi concessam, aliqui decimas novales sibi non meruunt usurpare.]

[2] Quamquam per sollicitudinem pastoralis officii sunt a sua nequitia coercendi, & cum de cunctis omnino proventibus decima

a Vid. decis. Capell. Tolos. 440. b vid. l. cum quidam cum vultat. ff. de liber. & postum. c Cap. 2. eod. tit. in 3. compil. d In recent. impressis, decimas Ecclesiae a Clericis tuis, & c. sed nos ex antiq. exemplar. Greg. reposuimus, ut est impressum, eam lectionem agnovit Hostiens. e Psal. 23. f solvere. g sint. h vid. Conc. Trid. Sess. 25. de reform. c. 12. adde Conc. Matisc. 2. c. 5. & Synodum Ticinensem. §. in sacris. vid. hic Henricum Boreh.

sint reddendae: sicut colonus de parte fructuum, quae sibi remanet de ratione culturae, sic & dominus de portione, quam percipit de ratione terrae, decimam reddere sine diminutione tenetur.]

CAP. XXVII.

Privilegium super decimis non solvendis Ecclesiasticae personae concessum novalia comprehendit. h. d. secundum intellectum, qui placet Panorm.

Idem Abbati sanctae a Columbae Senonen. (an. 1210.)

EX parte b tua: [& infra. 1] Cum igitur tibi, quod majus est, sit concessum, ut videlicet decimas de laboribus terrae parocciarum tuarum eum integritate percipias, de novalibus eas exigere satis potes: quia ubi majus conceditur, minus concessum esse videtur.

[1] Fuit propositum coram nobis, quod cum tibi de laboribus terrae parocciarum tuarum Ecclesiis, sicut asseris, sit indultum decimas cum integritate percipere, dignaremur misericorditer indulgere, ut de terris, quae infra parocias tuas noviter rediguntur ad culturam, de indulgentia nostra exigendi decimas facultatem haberes.]

CAP. XXVIII.

Negotiator de lucro decimam solvit deductis expensis, quas facit de pecunia decimata: expensa vero, qua sunt pro habendis fructibus, non deducuntur, & de fructibus solvitur decima, etiam non deductis expensis factis pro re restauranda.

Idem Helien. Episcopo. (an. 1210.)

Pastoralis e officii, &c. (& inf. 1) Explicari postulasti, utrum quis possit de molendinis, & piscariis necessariis expensas deducere, priusquam solvat decimas ex eisdem, sicut est in negotiatione concessum: Ad quod respondemus, quod licet circa res acquisitas, vel factas de pecunia decimata, cum ipsae venduntur, credamus deducendas expensas, & de residuo, quasi de lucro decimas persolvendas, ut si vendatur domus, ager, vinea, clibanus, molendinum, grex, aut qualibet merces: expensas tamen, quae sunt pro fructibus percipiendis, ex illis, de quibus fructus proveniunt, non credimus deducendas, etiam si fuerint decimate: quoniam salva decima, fructus efficiuntur eorum, qui faciunt ipsas expensas. Fructus autem ipsos d alienari posse non credimus, nisi cum onere decimarum. Nec pro restaurando detrimento quarumlibet rerum, ex quibus decimae persolvuntur, credimus deducendas expensas, de proventibus decimandis: quia penes dominum res permanent restauratae: ut si pars aliqua moriatur armenti, deterioretur vinea, portio mercis deperat, vel totus clibanus destruat.

CAP. XXIX.

Qui praescribit decimas in aliena parocia, si ibi insurgunt novalia, ipsorum decimas non habebit.

Idem.

Cum e contingat interdum in tua dioecesi: [& inf. 1] Cum in quibusdam parocciis ad quasdam Ecclesias, vel personas Ecclesiasticas ab antiquo pertinet perceptio decimarum, & de novo fiant novalia in eisdem, quarum a nobis, ad quam huiusmodi novalium decima incipiat pertinere? Unde inquit. t. t. respondit quod cum perceptio decimarum ad parociales Ecclesias de jure communi pertineat, decimae novalium, quae sunt in parocciis eorundem, ad ipsas proculdubio pertinere noscuntur, nisi ab his, qui alias percipiunt f decimas, rationabilis causa ostendatur g, per quam appareat, novalium ad eos decimas pertinere.

[1] Pre-

a Sanctae Columbae. al. Sancti Columbani. b C. 5. eod. tit. in 3. comp. & faciunt tradita per Jas. in l. 1. de transact. c C. 4. eod. tit. in 3. comp. vid. Turrec. in c. revertimini. 16. q. 1. d illos. e Cap. 1. eod. tit. in 4. compil. vid. Covarr. l. 1. var. resol. c. 17. circa fin. f accipiunt. g vid. l. non omn. per Barr. ff. de legibus.

[1] Praeterea requisisti, cum aliqua praedia, de quibus Ecclesiis, aut personis Ecclesiasticis decimae solvebantur, ad fratres Cisterciens. ordinis donationis, vel emptionis, aut alio titulo devoluntur, an iidem fratres de talibus praediis ipsis Ecclesiis, vel personis decimas solvere teneantur. Super quo tale damus responsum, quod cum praedictis fratribus a sed. Apost. sit indultum, ut de laboribus suis, quos propriis manibus, aut sumptibus excolunt, decimas nulli pro suis solvere teneantur, de praediis taliter acquisitis Ecclesiis, vel personis Ecclesiasticis decimas solvere non teneantur, dummodo propriis manibus eorum, aut sumptibus excolantur.]

CAP. XXX.

Decima omnium fructuum praedii debetur ei, qui decimas ibi praescripsit, sed ad aliud praedium praescriptio non extenditur.

Idem Innoc. III. Episcopo Beluacen. (an. 1210.)

Cum in tua a dioecesi quaedam monasteria, & conventuales Ecclesiae in multis parocciis majores decimas percipiant & minutas, de quibusdam fructibus annuatim perceptis non fuerint decimae persolutae: [& infra. 1] Respondemus, quod si fructus praedicti de illa terra proveniunt, de qua monasteria, vel conventuales Ecclesiae aliquos percipiunt ratione decimarum proventus: eis proculdubio decimae fructuum debentur eorum, cum ipsis terra illa ab antiquo fuerit decimata, & non debeat una eademque Ecclesia b diverso jure censeri: alioquin parocciis Ecclesiis exsolvantur, ad quas de jure communi spectat c perceptio decimarum.

[1] Quaevisisti per sed. Apost. edoceri, utrum decimae fructuum praedictorum ad parociales Ecclesias, quae nec minores percipiunt, nec minutas, an ad monasteria, & illas conventuales, quae decimas alias percipiunt ab antiquo, debeant pertinere.]

CAP. XXXI.

Laici Ecclesias, vel decimas donare non possunt, etiam si sunt Reges: nec ex eorum titulo praestatur causa praescribendi.

Idem Vespriem. d Episcopo. (an. 1210.)

Dudum e adversus fratres Hierosolymitanos Hospitalis sancti Stephani, te proponente in nostra praesentia quaestione, quod ipsi decimas de laboribus rusticorum suorum Vespriem. Ecclesiae debitas non permitterent tibi solvi. [& infra. 1] Comparantibus igitur te, ac ipsis statuto termino coram nobis, G. Presbyterum Cardin. tibi, & eis concessimus audire, coram quo decimas terrarum, quae per rusticos f Hospitalis Vespriem. dioec. excoluntur, & de Chirographo g, & de Novaculata Ecclesias, quae per ipsos Hospitalarios detinentur, intentione tua de jure communi fundata, petisti. Prior autem Hospitalis in praedictis decimis, & Ecclesiis praescriptionem allegans, proposuit se non teneri tibi super his respondere: quod cum per auditorem ad nostram audientiam pervenisset, mandavimus, quod idem Prior praescriptionis titulum, quem allegavit, probaret: qui B. Regis, ac Reginae Hungariae privilegia exhibuit, qui Ecclesiam sancti Stephani, ad quam distat Ecclesia cum eisdem decimis pertinebant, in perpetuam elemosinam hospitali donationis titulo concesserunt, confirmationis Clementis Papae praed. nost. scriptum exhibens, per quod probare volebat, concessionem praedictam plenum habere vigorem: [& infra. 2] Caterum ex parte tua fuit propositum, quod in decimis, & Ecclesiis a Rege, & Re-

gina donatis, praescriptionem non poterat opponere pars adversa, quae nec a donatione ipsorum initium habere poterat, nec a confirmatione praefata tantum effluxit temporis, quod possit praescriptio confirmari, & sic donationis Regis, & Reginae allegatus titulus nullus erat, cum sacrilegii crimen incurrat, qui Ecclesias, vel Ecclesiasticum aliquid a de manu receperit b laicali: (& infra. 3) Nos igitur cum donatores praedicti conferre non potuerint aliis, quae ipsi de jure non poterant possidere, & per confirmationem praedicti Clementis super Ecclesia sancti S. Hospitali cum decimis, & aliis pertinentibus ad se a factam, etiam si authenticum d apparet, juri episcopali nullatenus derogetur: sententialiter prohibemus, ne fratres Hospitalis praesumant ulterius impedire, quo minus decimas percipias memoratas, & pacifice possideas in futurum.

[1] Eos citavimus, praesentes eis terminum Concilium generale, quo cum instrumentis, & rationibus suis nostro se conspectui praesentarent, tibi respondere parati.]

[2] Et asserens nihilominus ipsam a sel. record. Lucio PP. praed. nost. postmodum confirmatam.]

[3] Unde si contingat Laicum in donatione Ecclesiae talibus verbis uti: Do tibi Ecclesiam talem: nihil aliud concedere intelligitur, nisi jus patronatus tantum, quod habet in ipsa, prout in constitutione a nobis edita continetur expressa. Contra confirmationem autem fuit hoc modo responsum, quod confuse ipsa Ecclesia S. Stephani cum omnibus decimis & Ecclesiis, & aliis, quae ad eandem pertinent, confirmetur, jus Episcopale non tollitur, cum de illo nil exprimat ibidem, sed tantum debita decimarum portio in parocchia S. Stephani collatarum, secundum terrae consuetudinem eidem Hospitalariis reservetur. Praeterea cum petita decima a te in parocchia S. Stephani non consistat, quod de plano confessus est pars adversa. Contra vero fuit a parte altera replicatum, quod cum spatio XXX. annorum tacueris, juri tuo tacite renunciaste videris, sed hoc pars tua visa est repellere, allegando quod XXX. annorum taciturnitas non in jure communi, sed in privilegiis noscitur obtinere: unde jure communi quod habet Episcopus in decimis, vel Ecclesiis suae dioec. non nisi XL. annorum taciturnitate privatur.]

CAP. XXXII.

Domini praediorum cogi possunt, ut praedia eorum colenda talibus, a quibus sine contradictione Ecclesiae possit decimas consequi. h. d. usque ad §. Ille.

Idem in Concilio generali. e (an. 1216.)

IN aliquibus regionibus f quaedam permixtae sunt gentes, quae secundum suos ritus decimas de more non solvunt, quamvis censeantur nomine Christiani: his nonnulli domini praediorum ea tribuunt excolenda, ut decimis defraudantes Ecclesias, majores inde redditus assequantur. Volentes igitur super his Ecclesiarum indemnitatibus providere, statuimus, ut ipsi domini g talibus personis, & taliter sua praedia excolenda committant, quod absque contradictione Ecclesiarum decimas cum integritate persolvant, & ad id, si necesse fuerit, per censuram Ecclesiasticam compellantur.

Iste §. propter sui breviter non summat.

Ille quippe decimae necessario solvenda sunt, quae debentur ex lege divina, vel loci consuetudine approbata.

CAP. XXXIII.

Prius solvende sunt decimae, quam census seu tributa: & si prius illa solvantur, postea decimari debent.

F f 2

Idem

a al. aliquid. b recipere. c a se, in recentioribus, sed in antiq. ad se, habetur: id est, ad Ecclesiam S. Stephani. d autentica, in recentibus: sed in antiquis authenticum legitur. e Innoc. III. in Conc. gener. Lat. cap. 53. f C. 5. eod. tit. in 4. compil. g l. Coa. Barb. ita: ut ipsi domini de caetero, talibus, &c.